



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 18. Henricus Sardiniae Rex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

§. XVIII.

*Henricus Sardiniae Rex.*Sæcul. XIII.
A. C. 1238.

Mense Octobri an. 1238 Henricus, alias Henz, Imperatoris Friderici filius spurius in Sardiniam profectus, uxorem duxit Adelasiam Ubaldi viduam, Dominamque duarum provinciarum Galluræ ac Turrium, quæ septentrionale insulæ dimidium consiciebant. Ubaldus ejusque conjux hunc principatum velut ab Ecclesia Romana sibi jure fiduciario collatum tenuerant, & hoc ex capite fidem suam jurejurando Papæ Gregorio obstrinxerant: qui totam Sardiniam non solum ita, ut cæteras maris insulas, sed etiam per donationes Constantini, Ludovici pii, reliquorumque Imperatorum ad se pertinere affirmabat. Altera pars ad meridiem duas itidem provincias continebat Arboreanam & Calaritanam. Harum quatuor provinciarum Domini vocari Judices volebant. Cæterum an. 1237. 12 Maji Petrus Arboreæ Judex coram Alexandro, qui Papæ a facello, ejusque in Sardinia Legatus erat, agnoverat, se per suum fidelitatis juramentum obstrictum esse, ut omnibus Papæ mandatis obediat; ut absque ejus permisso nullum foedus ineat; ut singulis annis die Festo S. Petri Ecclesiæ Romanæ mille ac centum aureos

ap. Rain.
1237. n. 17.Baudrand.
Sardin.

Rain. n. 22.

Sup. Lib.
LXXX.
§. 64.

Sæcul. XIII.
A. C. 1238.

aureos Byzantinos pendat. Contra Imperator Fridericus assererat, Sardiniam antiquo jam jure Imperii propriam esse, ac suos antecessores eam non amisisse, nisi quia alibi majoris momenti negotiis occupati fuissent. *Juravi autem, subjungebat, ut neminem fugit, me Imperio erepta omnia redditurum: nec oscitanter id exequar.* Ergo Henricum filium suum misit, & maxima insulæ parte potitum, Sardinia Regem declaravit.

Matth. Par.
1239. p. 410.

§. XIX.

Papa Imperatorem proscribit.

Petr. Vin.
I. ep. 6.

Matth. Par.
p. 416.

Ea res Papam gravissime commovit, refricuitque vulnera, quæ sibi ab Imperatore inflictæ jam alias conquestus fuerat. Itaque plures ei monitiones ex solenni ritu dedit, ita ut illum velle hostiliter agere facile sentiret Imperator. Qui eundem præventurus, 10 Martii Cardinalibus scripsit in hanc sententiam: *Quandoquidem Ecclesie lumina, & successores Apostolorum estis, omnium Papæ consiliorum participes; mirissimum est, eum iracundia impetu eo usque abripi, ut in gratiam Lombardorum rebellium contra Imperatorem Romanum ac Ecclesie defensorem gladium spiritualem stringere velit, quamquam detrimenta, quæ Ecclesiis illata esse perhibet, jam compensata sunt, aut nostro jussu pro-*
tinus